



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**D. D. Emanuelis Gonzalez Tellez, In Incllyta Salmanticensi  
Academia Collegii Majoris Conchensis Alumni, &  
antiquioris vespertinæ Sacrorum Canonum Cathedræ  
proprietary Interpretis; in Pinciano Sanctæ ...**

Additis Notis uberioribus ab Historia, & Chorographia

Complectens Librum Tertium

**González Téllez, Emanuel**

**Francofurti Ad Moenum, 1690**

Caput XXXI. Gregorius IX. Archiep. (a) Eborac.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74526](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74526)



## NOTÆ.

- (a) **A** *Oriens.* Ita etiam legitur in tertia collectione, *sub hoc tit. cap. final.* De Auriensi Diœcesi Galliciæ nonnulla notavi *in capit. cum causa, de probat.*

## COMMENTARIUM.

2. **I**n hoc textu agitur de intitulatione in Ecclesia Jurispatronatus, pro cujus expositione plura adduxerunt Covarr. & Lambert. congesti à Barbosa presenti. Et breviter sciendum est, nonnunquam Parochos, seu Rectores Ecclesiarum parochialium, sinere, immò & postulare ab Episcopo, ut alius clericus tanquam socius secum

ordinetur, & instituat in propria Ecclesia; quo casu, ne beneficium dividatur, constituitur certa portio clerico noviter ordinato ex fructibus ipsius beneficii solvenda, *cap. cum non ignores 15. de præbend. cap. 37. de simon.* docet Quintanaduenas *lib. 3. Ecclesiasticum, num. 19.* & jam notavi *in cap. 2. de præbend.* Dubitatur ergo ab Episcopo Auriensi, an quando ad petitionem Rectoris Ecclesiæ parochialis Patronum habentis aliquis intitulatus, id est ordinatus erat mortuo Rectore, haberet jus aliquod ad ipsam Ecclesiam? Et respondet Innocent. III. illum nullum jus habere, immò Patronum posse præsentare, quem maluerit ad Ecclesiam parochialem vacantem, nisi Patronus consensisset ipsi institutioni; quia tunc defuncto Rectore tenetur illam ratam habere, nec potest eam infirmare.

## CAPUT XXXI.

Gregorius IX. *Archiep. (a) Eborac.*

**T**Ransmissæ ad nos tuæ litteræ continebant, quod cum Capitulum Eboracen. Ecclesiam de Gameforde vacantem, in qua jus obtinent patronatus, R. clerico concessissent, ipsi postmodum L. clericum tibi ad eandem Ecclesiam præsentarunt, post appellationem ab eodem R. ad Sedem Ap. interjectam. *Et infra:* Consultationi tuæ taliter respondemus, quod cum ex vi Jurispatronatus non concessio, sed representatio pertineat ad Patronum, præsentatum (si aliquid non obstat Canonicum) instituere in ipsa Ecclesia poteris, utpote potiorum.

## NOTÆ.

- (a) **E** *Boracensi.* De Metropoli Eboracensi Angliæ *egi in cap. 2. de rescript.*

## COMMENTARIUM.

2. **P**ræfens Gregorii Decisio ex supra traditis, & sæpius in hoc titulo inculcatis facile exponitur. Supponit enim Pontifex, Juspatronatus spectasse ad Capitulum Eboracense, & ita ecclesiasticum fuisse, & vacante Ecclesia de Gameforde Capitulum non præsentasse, sed concessisse ipsam Ecclesiam R. qui cum ab Archiepiscopo non admitteretur, quia ab eo institutionem non acceperat, ad Sedem Apostolicam appellavit; interim Capitulum

agnoscens virtute Jurispatronatus non concessionem, seu collationem, sed tantum præsentationem sibi competere, Lucium ab Archiepiscopo instituendum præsentavit. In hoc casu consultus Gregorius decrevit secundum, Lucium videlicet, ut potiorum esse instituendum; nam licet Capitulum ut Patronus ecclesiasticus, si semel præsentasset Rodericum, non posset postea variare, ex traditis supra *in cap. quod autem;* tamen cum ipsum non præsentasset, sed absolute ipsi Ecclesiam concessisset, concessio ipsa nulla fuit, & sic non potuit impedire, quo minus Capitulum Lucium utiliter, & valide præsentasset: & quia ipse in præsentatione primus erat, jubet Gregorius Archiepisc. Ebor. ut ipsum tanquam potiorum instituat, rejecto R. ex traditis supra *in cap. 4. hoc tit.*

## TITULUS XXXIX.

*De Censibus, Exactionibus, & Procurationibus.*

## CAPUT I.

*Ex Concilio (a) apud Guarnac.*

**S**ANCITUM est, ut unicuique Ecclesiæ unus mansus integer absque ullo servitio distribuatur, & Presbyteri in eis constituti, non de decimis, nec de oblationibus fidelium; non de domibus, nec de atriis, vel de hortis juxta Ecclesiam positis, nec

de